PA 4444
.Z6 A7
Copy 1

QUAESTIONUM BUCOLICARUM SPECIMEN I.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA

FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIII. M. DECEMBRIS A. MDCCCLVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ADOLPHUS ASSMUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

RUDOLPHUS NICOLAI, SEMIN. PHILOL. HAL. SOD.

FRANC. HERMANNUS GENTHE, SEM. PHIL. HAL. SOD.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PA 4444
Z 26 A 7

DE VERSU BUCOLICO.

Donatus vel quisquis vitam Virgilianam ejus nomine insignem composuit, cap. 25. § 103: »tenue esse ait Bucolicum carmen et usque adeo ab heroico charactere distare, ut versus quoque hujus carminis suas quasdam caesuras habeant et suis legibus distinguantur.« Versuum dactylicorum hexametrorum quum quatuor genera discernantur tam temporibus quam virtutibus inter se diversa: heroicus et Homeri et eorum poetarum, qui hunc principem secuti sunt, bucolicus, Nonni denique summa doctrina ac diligentia evigilatus, missis quae ad sermonem magis quam ad numeros spectant, de caesura et mensura nunc quaeramus, qua noster a ceteris differat. Jam ut heroicus tribus vel quatuor notis caesuris conspicuus est, quarum »si nulla est species deprensa, magistri versum recusant nec vocant heroicum« (Terentian. Maur. p. 2420); ut Nonno mollis ista et fracta, quae *κατὰ τρίτον τροχαῖον* appellatur, prae ceteris placuit; sic bucolici hexametri, Theocritei imprimis propriam esse caesuram sive diaeresin post quartum pedem notum est, nec veteres grammaticos latuit, qui et nomen ei inde imposuerunt et de tetrametro bucolico praecipiunt. Nihil, ut haec statim absolvam, in

scholiis Theocr. reperimus, nisi quod ad II, 128 (Adert. sch. ined.) legitur ὁ στίχος δολιχόνροος. Plurima omnium auctor Vitae Virgil. tradit l. l. »Cum tribus inquit probetur metrum: caesura, scansione, modificatione, non erit Bucolicus versus, nisi in quo et pes primus partem orationis absolverit, et tertius trochaeus fuerit et caesura, et quartus pes dactylus magis quam spondeus partem orationis terminaverit, quintus et sextus pes ex integris dictionibus fuerit, quod Virgilius a Theocrito saepe servatum victus operis difficultate neglexit.« Marius Victorin. pag. 2509 P. »Nonnunquam evenit, ut in eodem versu plures incisiones, id est Penthemimerem et Hephthemimerem et eam, quae quarta caesura partem orationis terminat (quam Bucolicon Graeci dicunt) reperiamus, ut »Arma virumque cano Trojae qui primus ab oris.« Nam »jae qui« pes in versu quartus eam divisionem explicat, quam Bucolicon vocari dictum est, sub qua pedum percussione sensus impletur. Nam Bucolici metri haec lex est, quam per omne opus sui carminis Theocritus Syracusanus observat, exceptis paucis versiculis.« Diomedes p. 496 P. cautius τετραποδίαν βουκολικὴν ideo appellat, »quia Theocritus auctor bucolici carminis hac plurimum esse usus credatur.« Cf. p. 494. Serv. Centim. p. 1821 P. Beda p. 2369. Atil. Fortun. p. 2697: — »Theocritus hanc legem custodivit, Virgilius contempsit.« Apponam quae Terentian. Maur. p. 2430 P. de eo praescripsit:

Pastorale volet quum quis componere carmen,
Tetrametrum absolvat, cui portio demitur ima,
Quae solido a verbo poterit connectere versum;
Bucolicum siquidem talem voluere vocari.
Plurimus hoc pollet Siculae telluris alumnus:

Ne Graecum immittam versum, mutabo Latinum,
»Dulce tibi pinus submurmurat, en tibi pastor
»Proxima fonticulis et tu quoque dulcia pangis.«
Jugiter hanc legem toto prope carmine servat,
Noster rarus eo pastor Maro, sed tamen inquit
»Dic mihi Damoeta cujum pecus, an Meliboei?
»Non, vero Aegonis, nuper mihi tradidit Aegon.« —

Hermann. El. D. M. p. 339: »Legitima caesura duodecima apud bucolicos poetas habetur. Mirum est, Virgilium in Eclogis deseruisse exemplum Theocriti. Haec caesura etiam apud epicos poetas saepissime invenitur, fecitque ut quartus pes singulari licentia frueretur. — Magnam interdum vim haec incisio ad augendam rei quae describitur, magnitudinem habet.« Cf. 352 sq. Duo distinctionum genera a grammaticis confundi videntur. Etenim omnis caesura aut singulorum pedum est aut totius versus compagis: alteram, in qua sensus ratio nulla habetur, minorem sive podicam cum Boeckhio (de metris Pindari p. 96) vocabimus, alteram principalem, qua sententia simul cum voce finitur, ut pausa fiat quamvis brevis. Hac igitur principali caesura vel diaeresi in primo Theocriti carmine quadraginta unum, in tertio viginti unum, in quarto viginti septem, in quinto sexaginta sex, in sexto viginti tres, in septimo quadraginta tres, in octavo, nono, undecimo undenos, in decimo duodecim versus insignes agnosco, ut tertius quisque versus ex hac lege vere sit bucolicus, eadem Moschi bucolicorum carminum I. III. V. VI. est ratio, in Bionis quartus quisque vel quintus huc facit, in ceteris Theocriti et Moschi carminibus septimus, in Virgilii denique eclogis sextus decimus quisque. In reliquis versibus aut aliam caesuram regnare fatendum est, aut bucolicam (velut Theocr.

I, 48. intercal. 64. 149. II, 1. 4. 11. III, 15. V, 35, 45. 149. VIII, 19. 22. 87. XIV, 7. 9. 44. 60 [61]. XV, 20. 48. 50. 74. 131. 136.) vel aliam cum alia de principatu certare, ut vix dijudicetur, utra sit principalis utra subprincipalis dicenda. Sin altera illa minore sive podica caesura contenti vocem cum quarto pede terminatam spectamus, caret ea, ut hic quoque usum poetarum comparemus, in bucolicis Theocriti carminibus quartus quisque vel quintus versus, in Moschi quintus, in reliquis utriusque alter vel tertius, tertius fere in Virgilii eclogis, in Bionis quartus. Interest aliquantum inter Virgilii et reliquorum, imo inter ipsius Theocriti nonnulla carmina. Nam deductis spuriis et repetitis ex centum triginta quinque primi carminis versibus viginti quatuor distinctionem illam minorem bucolicam aspernantur, ex centum quadraginta sex secundi triginta duo, ex quinquaginta tribus tertii novem, ex sexaginta tribus quarti decem, ex centum quinquaginta quinti quatuordecim, ex quadraginta quinque sexti octo, ex centum quinquaginta septem septimi triginta sex, ex sexaginta quatuor octavi viginti tres, ex triginta sex noni sedecim, ex duodesexaginta decimi viginti, ex octoginta uno undecimi viginti quinque, ex triginta septem duodecimi quatuordecim, ex septuaginta quinque tertii decimi triginta unus, ex undeseptuaginta quarti decimi duodeviginti, ex centum undequinquaginta quinti decimi septuaginta quinque, ex centum novem sexti decimi undesexaginta, ex centum triginta septem septimi decimi septuaginta duo, ex duodesexaginta duodevicesimi viginti unus, ex sexaginta septem vicesimi primi viginti tres, ex ducentis viginti alterius et vicesimi centum, ex sexaginta tribus vicesimi tertii septemdecim, ex centum undequadra-

ginta vicesimi quarti undesexaginta, ex ducentis octoginta uno vicesimi quinti centum septem, ex duodequadraginta vicesimi sexti viginti duo; [ex octo undevicesimi unus, ex quadraginta quinque vicesimi septem, ex undeseptuaginta vicesimi septimi quatuordecim.] V, 131 *ὡς ῥόδα κισθὸς ἐπανθεῖ* scribo; codices alii, in iisque Q P, *ὡς ῥόδα κισσὸς* exhibent, alii *ὡς ῥοδόκισσος*, scholia *ῥοδάκισσος* norunt. XV, 7. Hermanni conjecturam *ἑκαστατέρω μευ ἀποικεῖς* ei quam Valcken proposuit *ἑκαστέρω ἄμμιν ἀποικεῖς* praefero. v. 117. Ahrens Reiskium secutus *τά τ' ἐνύγρω ἐλαίω* dedit, vulgatam servo *τά τ' ἐν ὑγρῷ ἐλαίῳ*, XXI, 17. autem nescio an cum eodem Ahrente *οὐδεὶς δ' ἐν μέσσῳ γείτων πέλεν· ἃ δὲ παρ' αὐτάν* corrigendum sit; v. 37 quamquam prima verba corrupta sunt, in extremis tamen *λέγε μοί ποτε νυκτός — ὄψιν* optimi codices consentiunt. Quae post XXII, 121 Stephanus primus exhibuit *καί κε τυχὼν ἔβλαψεν Ἀμυκλαίων βασιλῆα* non recipio, nec v. 150 *βουσὶ καὶ ἠμιόνοισι καὶ ἀλλοτρίοις κτεάτεσσιν*, aut XXIII, 30 sq. XXV, 66. — XXIV, 121 poeta *θοῶν ἐξήρατ' ἀγώνων* scripsisse videtur Homerum ni fallor secutus, qui in eadem hexametri regione verbo illo composito saepius utitur vel addita praepositione ut Od. V, 39: *πόλλ' ὅσ' ἂν οὐδέποτ' ἐκ Τροίης ἐξήρατ' Ὀδυσσεύς*, vel omissa ut Od. XIII, 137; solvit Ahrens *ἐξ ἤρατ'*. Mosch. II, 63 probatur, quod Meinek. suasit *λειμῶνας ἐπ' ἀνθεμόεντας ἵκανον*. Jam paucos versiculos repugnare, Mario Victorino vix credemus: sed rationes fortasse invenientur, quibus licentia illa, si hoc nomine eam notare licet, excusetur.

Atque primum quidem quum Adonii brevior sit clausula, quam quae sententiam semper absolvat, ultimus

quisque periodi versus facilius caesura bucolica principali, facile etiam podica sive minore caret. Accedit quod in fine saepissime leges migrantur. Itaque ut ordines trochaici, ut versus cujusvis generis, ne de asynartetis dicam, syllabam ancipitem vindicant; ut anapaestus dactylum sequitur cum in paroemiacis maxime tum apud Aristophanem intercedente diaeresi; ut »anapaesti, quibus concluduntur tragoediae, dorismos aspernantur« (Hermann. ad Eur. Hec. 1264): ita bucolicorum poetarum versus ii qui carmina (Theocr. III. IV. VI. VII. IX. XV. XVI. XXI. XXII. XXVI. [XXVII.] Bion. III. VI. [IX.] Moschi IV. VI. VII. Virg. Ecl. II. IV.), strophas (ut Theocr. I, 72. 98. 107. 126. 141. II, 31. 41. 46. 51. 104. 122. 134. III, 9. 23. 39. 48. 51. V, 77. 93. 97. 99. 115. 129.), omnino sententias claudunt, haud raro distinctione neglecta Adonium cum tetrametro copulant. Qua ratione dimidia fere pars apud Theocritum, Bionem, Moschum, Virgilium excusatur. Ne sexcentos quadraginta quinque versus appingam, sufficiant qui in bucolicis carminibus Theocriti reperiuntur praeter eos quos modo attuli: I, 28. 31. 51. 58. 63. 85. 133. 150. IV, 7. 22. 25. 34. 42. 57. V, 4. 7. 19. 46. VI, 12. 24. 38. VII, 9. 16. 26. 34. 56. 68. 75. 79. 81. 82. 124. 137. 140. 146. 150. VIII, 5. 8. 10. 11. 12. 14. 24. 27. 62. 64. 70. 75. 83. 86. 90. IX, 3. 6. 11. (17.) 21. 24. 27. 29. X, 1. 10. 11. 16. 18. 27. 35. 39. 40. 41. 49. 51. 55. XI, 18. 19. 35. 37. 48. 53. 57. 66. 71. 75. 78. —

Similis est caussa, cur in primo quoque versu sententiam inchoante, tetrameter cum Adonio conjungatur: anacrusin, basin, ordinum iambicorum primam syllabam ancipitem comparare licet. Neque proprius Theocriti et omnino bucolicorum poetarum usus hic omittendus est: multipli-

cem dico responsionem, qua frequentes cum voces eodem exitu, tum versus eadem mensura et incisione instructi se excipiunt. Licet non semper eadem sit principalis caesura, subprincipalis saepe illam similitudinem servat. Scatent exemplis carmina, quodsi singulis opus est, Theocriti *τηλαυγὲς πρόσωπον* rem illustrabit. Haec igitur caesurae responsio bucolica videtur poetam invitasse, ut eorum versuum affectionum, qui praegressam sententiam claudunt, ad eos traduceret, qui novam ordiuntur. Sic quarti pedis distinctione neglecta et spondeo aut dactylo ad antecedentes se applicant III, 10. VII, 35. 125 sq. VIII, 15. 71. IX, 4. — II, 39. 142. XIII, 34. 36. 46. XV, 15. 36. 46 sq. 56. 58. 80. 96. 100. 126. XVI, 29. 88. XVII, 3. 5. 7. 34. 51. 53. 79. 100. 108. 112 sq. XVIII, 26. 50. 54. XXII. 19. 32. 78. 95. 122. (123 v. supra.) 187. 191. 214. XXIII, 10. 19. XXV, 102. 155. 201. 247. Fragm. Beren. 5. Bion. I, 87. VIII, 6. XIV, 2. Mosch. I, 18. II, 13. 68. 84 sq. VI, 3. Virg. ecl. I, 31. 40. II, 51. III, 10. IV, 13. 15. 18. 62. V, 4. 24. 29. 45. VI, 82. VIII, 27. X, 6. 58. 64; alii mensura sui similes sequuntur: VII, 21. 122. VIII, 90. IX, 14. X, 7. 26. 48. XI, 5. 7. 17. 63. 80. XII, 10. 12. 20. XIII, 72. XIV, 8. 18. 39. 52. XV, 53. 69. 128. XVI, 73. 76. 78. 98. 101. XVII, 28. 43. 73. [XX, 17.] XXII, 116. 137. 141. 147. 149. 159. XXIII, 49. XXIV, 32. 59. 74. XXV, 5. 132. 134. 221. 238. 262. 272. XXVI, 33. 35. [XXVII, 65.] Bion. I, 56. 80. V, 9. VI, 3. 8. 10. VIII, 2. Mosch. I, 26. II, 55. 63. 77. 89. 111. 115. 125. III, 9. IV, 19. 75. 103. 119. Virg. I, 36. 77. II, 23. III, 32 sq. 35. 55. 98. IV, 31. V, 27. VI, 13. 16. 27. 31. 37. 53. VII, 25. 53. VIII, 77. IX, 7. 30. 32. X, 4; versu intercalari inserto Theocr. I, 74. Virg. VIII, 73. 101. 105. Praeter

hos et Theocr. X, 1. [XIX, 1.] XXII, 1. XXV, 1. XXVI, 1. Beren. 1. Bion. V, 1. Virg. II, 1. IV, 1. V, 1. X, 1. securi de praecedente metro huc faciunt Theocr. I, 32. 39. 45. 95. 128. 132. II. 8. 163. IV, 17. V, 53. 108. VI, 13. 41. VII, 49. 135. 144. 154. VIII, 9. 30. 41. 53. 67. 85. IX, 12. 30. 31. X, 21. 28. 50. XI, 19. 45. 50. 52. XII, 3. 27. XIII, 55. XV, 11. 18. 22. 39. 84. 106. 115. 119. 123. XVI, 5. 34. 36. 64. 66. 68. XVII, 9. 13. 16. 20. 32. 58. 102. 115. [XX, 28.] XXI, 4. 34. 39. 56. XXII, 10. 34. 76. 80. 83. 118. 127. 154. 156. 193. 196. 221. XXIV, 7. 30. 44. 61. 90. 131. XXV, 13. 78. 96. 100. 108. 142. 150. 166. 177. 189. 204. 206. 227. 235. 278. XXVI, 22. 27. Bion. I, 13. 46. II, 27. III, 15. V, 12. VII, 14. VIII, 4. Mosch. I, 22. II, 6. III, 79. 122. IV, 21. 29. 38. 47. 83. 88. 94. V, 11. Virg. I, 19. 27. 56. 71. 75. 79. II, 3. 14. 32. 35. 36. 66. III, 7 sq. 28. 64. 72. 78. IV, 21. V, 74. VI, 20. 29. 41. 45. 72. 78. VII, 33. 41. VIII, 14. 22. 64. 69. IX, 14. 19. X, 9. 19. 24. 35. 52. 70.

Sunt in illis, quorum neglectam caesuram non finis solum aut exordium, sed etiam commissura vocis compositae excuset (cf. Spitzner de versu her. p. 8.), atque multo quidem facilius quam Callimachi et Horatii notorum versuum; addo eos, in quibus augmentum quartum pedem terminat: Theocr. I, 72. 85. II, 20. 41. 101. 139. IV, 34. V, 19. 77. VI, 38. VII, 150. VIII, 11. 12. 14. 62. 71. X, 21. 48. XIII, 36. 46. XIV, 18. 33. XV, 17. 35. 99. 129. XVI, 33. XVII, 16. 37. 108. 113. XVIII, 26. 28. 49. [XX, 17.] XXI, 62. XXII, 32. 50. 124. 153. 156. 186. 200. 211. XXIII, 19. 60. 61. XXIV, 19. 34. 41. 49. 62. 84. 117. 123. 130. XXV, 1. 101. 132. 152. 182. 192. 203. 204. 221. 238. 272. XXVI, 11. 18. Bion. I, 17. 39. Mosch.

II, 11. 28. 73. 81. 87. 94. 107. 140. 163. III, 98. IV, 5. 93. 94. 105. VI, 2. 4. Virg. I, 10. 15. 17. 21. 27. 40. 41. 45. 50. 55. 71. 72. 75. II, 32. 36. 57. 66. 69. 72. III, 6. 27. 32 sq. 49. 55. 78. 98. 108. IV, 7. 12. 21. 27. 33. 60. V, 1. 3. 19. 29. 42. 47. VI, 16. 34. 47. VII, 13. 32. 69. VIII, 14. 40. 69. 73. 99. IX, 7. 14. 20. 26. 30. 38. X, 1. 43. 63. Accedunt Theocr. I, 46. 60. II, 3. 115. VII, 17. XI, 15. 39. 47. XIII, 5. 8. 23. 56. XIV, 14. XV, 19. 97. 138. XVI, 6. 26. 62. (v. 73 quod Bergkius proposuit *κεχαρήσεται* recipio) 91. XVII, 24. 68. 99. 100. 122. 129. XVIII, 36. XXII, 90. 110. 197. XXIII, 51. 57. XXIV, 13. 25. 27. 57. 65. 126. XXV, 15. 24. 66. 109. 244. 250. XXVI, 5. Bion II, 7. Mosch. II, 59. 109. IV, 33. 76. 113. Virg. I, 54. II, 30. III, 13, 26. 38. 45. V, 30. 69. VI, 33. 83. VII, 39. VIII, 66. 87. 88. 98. IX, 3. 8. X, 53.

Deinde nomina propria, quibus in versu heroico (v. Spitzner l. l. p. 7) et in ipsa scena attica aliquid conceditur, hic quoque excipiuntur, quartum cum quinto pede conjungentia; ut in illis jam defensis versibus Theocr. I, 95. 141. II, 8, 77. 97. 148. 163. IV, 17. VI, 41. VIII, 53. X, 16. XI, 7. XIV, 6. (46.) XV, 11, 86. 90. 96. 100. 126. XVI, 78. 108. 109. XVII, 73. XVIII, 25. 31. 48. XXII, 31. 77. 86. XXIV, 72, 82. 109. XXV, 91. 154. 200. XXVI, 23. 26. 33. Bion. V, 4. 6. 12. VI, 10. VIII, 2. (4.) XIV, 1. Mosch. I, 14. III, 80. 122. IV, 95. VI, 3. Virg. I, 5. 19. 30. 31. 36. 42. II, 14. 24. 52. III, 72. 81. V, 59. 71. VI, 13. 29. 41. 60. VII, 33. VIII, 77. IX, 22. X, 12. 24; — sic Theocr. II, 120. VII, 5. 54. 113. IX, 26. XI, 13. XII, 13. (XIV, 53.) XV, (92.) 110. 140. XVI, 102. XVII, 18. 54. XVIII, 23. [XX, 38.] XXII, 5. 133. 208. XXV, 21.

55. 169. Bion. X, 4. Mosch. III, 89. 119. IV, 123. Virg. I, 62. IV, 6. X, 59. 65.

His sublatis pauci sane versus in Theocriti bucolicis carminibus restant, plures, ut par est, in reliquis: I, 47. III, 22. 44. IV, 18, 27. V, 18. 56. VI, 3, 17. VII, 22. 65. 101. 107. 110. 117. 118. VIII, 86. IX, 2. X, 57. XI, 20. 26. [XX, 22. 23.] — II, 12. 73. XII, 4. 5. 7. 8. 18. XIII, 7. 13. 14. 17. 19. 28. 38. 39. 41. 63. 64. 74. XIV, 35. 62. 66. 68. XV, 16. 85. 101. 102. 107. 116. 120. 133. XVI, 11. 17. 25. 31. 43. 49. 53. 54. 56. 61. 69. 83. 85. 92. 99. 105. XVII, 30. 46. 49. 55 sq. 64. 89. 103. 109 sq. 119. 127. XVIII, 2. (lego *θάλλοντα κόμαις ὑάκινθον ἔχοισαι*) 13. 14. 24. 27. 39. XXI, 7. 10. 11. 12. 40. 42. 54. 59. XXII, 7. 12. 15. 28. 35. 41. 81. 93. 99. 103. 120. 138. 142. 173. 174. 175. 178. 179. XXIII, 17. 38. 40. XXIV, 3. 12. 14. 18. 21. 54. 66. 67. 69. 79. 93. 112. 114. 119. 120. 125. 127. 129. 135. 136. XXV, 19. 20. 32. 36. 46. 63. 90. 93. 98. 120. 122. 127. 157. 160. 167. 175. 179. 196. 197. 207. 208. 209. 212. 225. 241. 242. 253. 259. 267. 268. 273. XXVI, 4. 8. 37. Bion. I, 20. 41. 94. IV, 5. XII, 2. Mosch. II, 3. 31. 34. 51. 69. 70. 75. 116. 121. 147. 159. 160. III, 38. 47. 74. 82. IV, 9. 10. 11. 51. 54. 57. 60. 63. 66. 70. 77. 78. 97. 101. 112. 116. VII, 2. Virg. I, 65. II, 2. 9. 10. 12. 47. 64. III, 14. 53. IV, 16. V, 5. 14. 17. 22. 51. VI, 14. 32. 50. 59. 62. 68. 85. VII, 12. 38. 55. 67. VIII, 2. 44. 54. 70. 74. IX, 9. 28. 62. X, 17. 32. 39. 60. Longiora imprimis vocabula admittuntur vel hac sede assueta, vel cum antecedentis versus quarto pede concinentia, vel adjectiva nominibus propriis apposita. Nonnunquam continuatum metrum perpetuitati, tenori, copiae vel simili

effectui exprimendo inservit; vocis etiam vis in illa regione repetitae interdum accedit, velut Theocr. I, 74: *πολλαὶ οἱ πὰρ ποσσὶ βόες, πολλοὶ δέ τε ταῦροι,* cf. IX, 17. XV, 5. XVI, 25. XVII, 76. (XXII, 156.) Summum silentium ac tranquillitas II, 38: *ἠνίδε σιγᾷ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἀῆται* (cf. XVI, 54.); post vv. 10. 11. vere bucolicos v. 12: *τᾷ χθονίᾳ θ' Ἑκάτᾳ, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι* vagus horror, 73: *ὠμάρτευν βύσσοιο καλὸν σύροισα χιτῶνα* tracta palla (cf. XIV, 35. Mosch. IV, 116.), VI, 17: *καὶ φεύγει φιλέοντα καὶ οὐ φιλέοντα διώκει* (cf. XIV, 62. Mosch. VI, 8.) assidua Galateae lascivia optime depingitur; cf. I, 46. (VII, 146. XV, 19. XVII, 95. XXII, 93.) — I, 132. — VII, 34. 35. 107. 110. 124. VIII, 41. (XXV, 96.) IX, 2. 14. XI, 63. XIII, 74. XV, 45. (XVI, 64. XXV, 57.) XV, 20. (Virg. VI, 81.) XXII, 138. XXIV, 3. (46. XXV, 13. 63. XXVII, 23.) XXIV, 30. XXV, 72. XXVI, 26, 30. Mosch. III, 74. Virg. II, 33. III, 101. X, 54. Sufficiant haec, etsi plura afferri possint. —

Primam praeter hanc diaeresin Auctor Vit. Virgil. l. l. bucolici versus propriam esse vult, solus quem sciam ex veteribus grammaticis. Apparet minorem ab eo dici incisionem, nam principali vel subprincipali primum pedem in Theocriti bucolicis vix quadraginta versus distinguunt; totidem fere in reliquis ejusdem, plures in Virgilii, perpauci in Bionis et Moschi carminibus. Ne de minore quidem assentior, certe legem non vocarim, quam toties migrare quoties servare licet. Haec enim graecorum bucolicorum est ratio, ut eos versus quorum secundus pes ab integro vocabulo incipit, alteri non legitimi ex isto praecepto, numero tantum non adaequent, alias altero alias tertio quoque repugnante, est etiam ubi superent, ut apud

Virgilium plerumque. Responsione vel frequentia eminent Moschi II, 117-126 bini; praeter ternos, (ut Theocr. VII, 141-143. IX, 11-13. XI, 65-67. Bion. I, 9-11. 20-22. IX, 3-5. Mosch. II, 34-36. III, 82-84. VI, 2-4.) Theocr. I, 30-35. 133-136. II, 28 sqq. 71-74. III, 12-18. 21-25. 46-51. IV, 27-30. V, 45-48. 128-131. 135-140. VII, 6-9. 40-44. 57-61. 69-72. 96-100. IX, 27-30. X, 34-37. 46-49. XI, 32-35. 72-76. Bion. I, 46-50. 65-70. II, 17-20. VI. 1-7. Mosch. I, 9-12. 24-29. II, 77-81. 100-104. 156-159. III, 38-41. 66-69. 94-97. IV, 14-18. 53-56. 59-64. 108-113. 119-123. In illis autem improbis Theocriti et Virgilii alter omnino vel tertius, Bionis et Moschi quartus quisque spondeum habet. Neque vero hanc neglectam diaeresin poetae vitio vertam; nam quod Warton. de poesi bucol. p. 36. »laudari ait bucolicum carmen, certe numerosius esse, si primo loco sit dactylus, et pedem absolvat«, soli dactylo itaque metro non incisioni hanc virtutem tribuo, nec reprehendi patiar versus I, 117: *οὐκέτ' ἀνὰ δρυμώς, οὐκ ἄλσεα. χαῖρ' Ἀρέθοισα*, 125: *τὰν Σικελάν, Ἑλίκα δὲ λίπ' ἠρίον αἰπύ τε σᾶμα*, II, 10: *φαῖνε καλόν· τὶν γὰρ ποταείσομαι ἄσυχε δαῖμον* aut his similes. Crebra autem diaeresi fractos et dissectos lentius ac minus bene sonare, spondeis praesertim retardatos quis est quin sentiat. Pauci sunt, quales Hermannus Opusc. V, p. 83 notat: IV, 15. V, 21. 31. 58. 86. 111. VIII, 43; addam II, 155. VII, 39. XXII, 57. Mosch. IV, 47. 78. Trochaeo tertii pedis ab his differunt, ad quos Moschi versus citati aditum faciunt, Theocr. I, 74. 123. II, 26. 142. IV, 20. 35. 47. V, 14. 92. 141. VI, 21. 34. 35. VII, 144. X, 18. 41. XI, 59. 61. XV, 26. 77. XVI, 40. 83. XVII, 15. XXII, 170. XXIV, 85. 134.

[XXVII, 19. 34. 49. 53.] Mosch. II, 155; — vocula tamen monosyllaba in thesi posita cum sequentibus plerumque cohaeret. Cavit ab iis Virgilius nec Bionis exemplum inveni. Singulares sunt altera cum quarta diaeresi iisdemque numeris adhibitis tripartiti versus Moschi II, 79: *Κρύψε θεὸν καὶ τρέψε δέμας καὶ γίγνετο ταῦρος*, Virgilii III, 109: Et vitula tu dignus et hic et quisquis amores, V, 70: Ante focum, si frigus erit, si messis in umbra, IX, 11: Audieras et fama fuit sed carmina tantum —, quamvis fortibus caesuris excusentur. Numerorum praeterea vel volubilitate (ut Theocr. XXIV, 64: *Τειρεσίαν τόκα μάντιν ἀλαθέα πάντα λέγοντα*) vel varietate provideri solet, ut obscurata duplici ista distinctione minus aequabiliter versus incedant, ut Theocr. I, 3. *συρίσθες· μετὰ Πᾶνα τὸ δεύτερον ἄθλον ἀποισῇ*. II, 11: *φαῖνε καλόν· τὶν γὰρ ποταείσομαι, ἄσυχε δαῖμον*. XVIII, 52. *ἀλλάλων Ζεὺς δὲ Κρονίδας Ζεὺς ἄφθιτον ὄλβον*. Virg. III, 43. VII, 52. — Tertia quoque diaeresis, molesta ea, si pausam sensus requirit, (ut Virg. VIII, 49: Crudelis mater magis, an puer improbus ille), praegressa vel sequente caesura obruitur, ut Theocr. I, 3. 9. — Vitatur denique quinta in spondaicis, de Theocr. I, 65, qui excipi videtur, cf. Hermann. de arte poesis Graecorum bucolicae, Lips. 1848 (certam. praepos. praem. ind. in an. 1849) p. 4.

Raro tertius pes omni incisione caret, colligatus vocabulo longiore cum quarto, nonnunquam etiam cum altero pede, ut Theocr. VIII, 61: *ταῦτα μὲν ὧν δι' ἀμοιβαίων οἱ παῖδες ἄεισαν*. XIII, 41: *κυάνεόν τε χελιδόνιον χλοερόν τ' ἀδίαντον*. Bion. I, 89: *Ὑμὰν οὐκ ἔτ' ἀειδόμενον μέλος ᾄδεται αἰαῖ* (Ahrens *Ὑμὰν οὐκέτ' ἄειδε, νέον μέλος ᾄδε τοι αἰαῖ*); Virg. I, 40: Quid facerem? neque ser-

vitio me exire licebat; VII, 17: Posthabui tamen illorum mea seria ludo. Commissura defenduntur Theocr. XXII, 72: *ὀρνίχων φοινικολόφων τοιοίδε κυδοιμοί,* Mosch. II, 67: *λειμώνων ἐαροτρεφέων θαλέεσκε πέτηλα,* Virg. III, 43: Necdum illis labra admovi, sed condita servo, VIII, 34: Hirsutumque supercilium promissaque barba; — nomine proprio Theocr. XVIII, 20: *οἷα γαῖαν Ἀχαιάδων πατεῖ οὐδεμί᾽ ἄλλα* (Ahrens *οἷα Ἀχαιίδα νῦν γαῖαν πατεῖ οὐδεμί᾽ ἄλλα*), Virg. III, 44: Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit, VII, 14: Quid facerem? neque ego Alcippen nec Phyllida habebam. —

E duabus autem tertii pedis caesuris, quae cum quarta diaeresi reliquas exsuperant, modo haec, modo illa praevalet: altera, quae *κατὰ τρίτον τροχαῖον* vocatur, Virgilio quidem minus probata, in bucolicis Theocriti carminibus penthemimerem fere adaequat, praefectur a Bione et Moscho. — Ne de infami ista post quartum trochaeum dicam, quae ubi voces dirimit sensu artissime inter se cohaerentes, ut Theocr. I, 53. 56. 148. 151. vel II, 64 et saepius, nulla potius est, hephthemimeres quamquam non plane negligitur, apud Graecos tamen sollemni bucolicae distinctioni cedit, proximum locum obtinenti. Apud Virgilium autem quum feminea haud raro, ut omnino apud poetas latinos, in quarto pede occurrat, importunissima in eclogis VII, 33, geminata VI, 27. 28; tum mascula etiam latius patet. Quanti Scholiastae Hephaest. p. 178 Gaisf. judicium aestimandum sit, nemo non videt: Draconem Straton. p. 140 secutus est (cf. Hermann. praef. ad Drac. et Tzetz. p. X sq.) Uterque *βουκολικὸν (μέτρον) τὸ μετὰ τρεῖς πόδας ἀπαρτίζον εἰς μέρος λόγου,* exemplum ille laudat Il. *κ,* 475: *ἐξ ἐπιδιφριάδος πυμάτοις ἱμᾶσι δέδεντο,* hic *α,* 204: *ἀλλ᾽*

ἔκ τοι ἐρέω τόδε καὶ τετελέσθαι ὀΐω. Si ulla dubitatio esset de auctoritate Draconis vel potius epitomes, quae variis additamentis corrupta ac depravata ei tribuitur, convinceretur opinor hoc loco collato cum p. 126, 23: *βουκολικὴ δὲ (τομή ἐστιν) ὅταν μετὰ τέσσαρας πόδας εὑρεθῇ συλλαβὴ ἀπαρτίζουσα εἰς μέρος λόγου τέλειον, οἷόν ἐστι τὸ* (Il. γ, 308) *Ζεὺς μέν που τόγε οἶδε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι. Κέκληται δὲ βουκολικὴ παρόσον οἱ τὰ βουκολικὰ γράψαντες ποιήματα ταύτῃ κέχρηνται, ὡς παντιαχοῦ εὑρήσεις παρὰ Μόσχῳ καὶ Βίωνι καὶ Θεοκρίτῳ οἷον·* (Mosch. III, 1) *αἴλινά μοι στοναχεῖτε νάπαι καὶ Δώριον ὕδωρ,* (I, 27) *φεῦγε, κακὸν τὸ φίλαμα. τὰ χείλεα φάρμακόν ἐντι.* Ex eodem fortasse, certe cognato fonte Elias Monachus (tractatus de metr.) post ea, quae p. 77 (F. de Furia: Appendix ad Drac. Strat.) recte praecipit *ἡ δὲ τετάρτη τομή ἐστι βουκολικὴ ἥτις ἐν τέλει τῆς τετάρτης χώρας τε καὶ λέξεως γίνεται, οἷον ἀκολούθως, ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον,* — p. 78 interpolatus haec exhibet *βουκολικὸν δὲ (μέτρον) ἐστὶ τὸ κατὰ τρεῖς πόδας ἀπαρτίζον καὶ λῆγον οἷον· ἐξ ἐπιδιφριάδος πυμάτο[ι]ς ἱμᾶσι δέδεντο* cum propinquis argutiis codici Vat. ignota.

Peracta caesura de mensura sive contractione thesium dicendum erit; atque eodem ordine disputaturus a quarto pede incipiam. Plotius p. 2638 P. »Anacreonticum inquit tetrametrum dactylicum a tetrametro Bucolico hoc differt, quod illud quidem (bucolicum) octo schemata habet et quartum pedem semper dactylum, hoc vero monoschematistum;« idem p. 2637: »de quarto nulla quaestio est, quod dactylus sit.« Grammaticorum et Wartoni locis laudatis adde Valckenaer. Epist. ad M. Roever. (Opusc. I,

332 sq.), qui »re deliberata censuit, versum dactylicum dici debere bucolicum, si duobus pedibus postremis recisis remaneret tetrameter, qui clauderetur dactylo, terminante partem orationis, atque adeo Alcmanicus.« Expeditiores sine dubio erunt ac melius profluunt solutis cum aliorum tum quarti pedis thesibus; cujus rei caussam in sexti pedis similitudine quaero: anticipatur enim justa versus clausula Adonio vindicanda. Et fugit sane Theocritus istum spondeum maxime in bucolicis carminibus; quum enim omnino ex versibus ejus tertia, in his ut apud Bionem et Moschum sexta pars legem migrat. Cumulantur imprimis Theocr. VII, 124-126. XI, 75 sqq. XIII, 37-39. XV, 40-43. 45-48. 74-76. 92-94. XVI, 10-13. 87-89. XVII, 32-34. 55-57. XXII, 10-12. 14-16. 80-82. XXV, 265-267. Bion I, 13-15. 85-87. V, 7-9. VIII, 4-6. Mosch. II, 75-77; alios supra attulimus p. 13. Longe aliter Virgilius sensit, qui tantum abest ut exemplum ejus sequatur, ut dactylo potius vitato in duabus fere partibus spondeum adsciscat. Est tamen quod differat inter repugnantes illos versus. Facilius enim me quidem judice ii veniam impetrabunt, qui diaeresi bucolica insuper carent, quam qui adhibita ea distinctiorem clausulae speciem praebent. Quadringentos tres hujusmodi versus ex Theocriti quingentis quadraginta quinque, undetriginta ex Bionis quadraginta, sexaginta unum ex Moschi septuaginta quinque, ducentos tredecim ex Virgilii quingentis novem supra jam deprehendimus, excusatos maximam partem vel fine vel exordio vel compositione vel nomine proprio. — Proximum locum tenent in quibus incisio illa praecedente caesura hephthemimere obruitur, vocula monosyllaba quarti pedis theses occupante. Qua ratione duae fere partes

eorum, qui apud Theocritum supersunt, eximuntur, tres si sola bucolica carmina spectamus: I, 6. 14. 109. IV, 8. 52. V, 16. 58. 132. 133. VI, 5. VII, 104. VIII, 23. 61. 66. 79. IX, 13. 19 (χόρια ζεῖ) 32. X, 19. 29. 30. XI, 4. 44. 49. 67. 73. 76. 77. 79. 81; Bionis qui reliqui sunt undecim I, 8. 24. 74. III, 5. V, 2. 7. 8. 11. VII, 10. 11. XVI, 1; totidem Moschi II, 33. 36. 45. 76. 79. 91. 148. III, 1. 107. IV, 32. 64; duae etiam partes Virgilianorum. Quibus exceptis pauci contumaces resident apud Theocritum VIII, 13. 32. IX, 1. X, 38. 58. XI, 1. 42. 54. 62. — XII, 24. XIII, 59. XIV, 23. XV, 23. 26. 42. 48. 67. 74. 94. 131. XVI, 67. XVII, 36. 45. 85. 87. 133. XVIII, 12. 55. 57. XXII, 11. 88. 89. 109. 113. 117. 157. 161. 182. 194. 216. XXIV, 105. 108. XXV, 9. 30. 99. 119. 158. 254. [XXVII, 62]; apud Moschum II, 41. IV, 37. V, 10; centum quinque apud Virgilium.

»Porro laudatur bucolicum carmen, certe numerosius erit, si primo loco sit dactylus et pedem absolvat.« Warton. l. l. De eorum praecepto, qui primi pedis distinctionem versus bucolici propriam esse ajunt, supra vidimus: dissentiendum est, sive de ipsa incisionis ratione quam apta sit, sive de poetarum usu quaerimus. Praestare quidem dactylos Wartono concessimus, sin quis hanc legem dicat esse bucolicam, repugnandum erit: nam totidem fere versus condemnandi quot probandi essent, imo plures in nonnullis carminibus, quae bucolicis adnumerare nemo dubitabit. Continui saepe responsionis speciem prae se ferunt ut Theocr. II, 72-74. 76-78. 83-86. 124-128. III, 12-15. 25-28. 47-49. IV, 20-23. 34-36. 44-47. 49-54. V, 4-7. 12-17. 64-67. 85-89. 109-113. VI, 41 sqq. VII, 8-12. 101-106. 141-144. VIII, 3-6. 18-23. IX, 14-18.

31-33. X, 23-27. 39-43. XI, 5-8. 21-25. 28-30. 32-38. 59-63. 65-74 cf. p. 14. Omnino plus quadringentis versibus in Theocriti bucolicis, septuaginta quatuor in Bionis, centum undequadraginta in Moschi carminibus spondeus inchoat, tertiam partem apud Virgilium, ex quibus tertius quisque apud Theocritum et Bionem, alter apud Moschum, plures apud Virgilium diaeresi spondeum praecidunt.

Ut quintum pedem post has quae sollemnes habentur versuum bucolicorum sedes absolvam, in spondaicis si qui occurrant nostros quoque poetas a quinta diaeresi cavisse supra monui; ceterum Bio et Moschus in clausulis plerumque a Theocrito inductis acquiescunt, ut Mosch. II, 57. IV, 17. 41. coll. Theocr. XXV, 233. Concinunt inter se Theocr. XIII, 42-44. XV, 82-83. XVI, 3-4. XVII, 26-27. 60-61. XXIV, 76-77. XXV, 29-31. 98-99. Mosch. II, 123-124. Nomine proprio haud pauci finiuntur: Theocr. XVI, 56. XVII, 26. (cf. 27. XXIV, 16. 53. XXV, 110. 143. 154. 191. Mosch. IV, 95.) XVII, 79. XXI, 55. XXIV, 2. (60. Mosch. IV, 53. 118.) XXIV, 77. 109. XXV, 7. (29.) 10. 202. [XXVII, 27.] Mosch. II, 7. (15. 37. 41. 62. 93. 99.) 38. (IV, 106.) IV, 75; accedunt Theocr. XII, 13. XV, 48. Dignitas et admiratio exprimitur Theocr. XIII, 20. (XXVI, 36.) XV, 82. 98. 145. XVI, 70. 80. (XXII, 163. 216.) XVII, 23. XXII, 51. (Bion. I, 25. Mosch. IV, 74.) XXV, 48. 159; vel aliud quid depingitur: Theocr. I, 38. (VII, 48.) I, 71. (II, 35.) I, 75. (Bion. I, 18.) I, 136. V, 113. VII, 23. 133. X, 58. XV, 27. 87. XVI, 77. XVIII, 3. (Mosch. II, 30.) XXIV, 29. 47. XXV, 30. 263. Bion. I, 34. Mosch. II, 86. IV, 3. 27. 104; longiora vocabula adhibentur imprimis Theocr. XXIV, 84. 126. (Mosch. II, 157.) XXVI, 17. Sufficiant haec exempla, ut maxime perspicua.

Eadem autem vi praedicandae rei atque exornandae omnino non raro spondei cumulantur, ut Theocr. V, 58. De iis qui vel soli vel dactylos excipientes diaeresibus distinguuntur, jam dictum est; minus in continuis consonae partes, tamquam ternas versuum clausulas efficientes, audiuntur, velut Theocr. VII, 35. XV, 38. XVII, 133. XXIII. 42. XXIV, 62. Virg. I, 9 et notabiles prae ceteris V, 77. 78.

DE VITA THEOCRITI.

Theocriti patriam quoniam in dubium vocari video ab Ahrente (in Schneidew. Philol. 1852, p. 412), auctores circumspiciamus, qui res ac vitam dulcissimi poetae illustrent. Parum quidem, ut ab iis initium faciam, quae ipse de se tradit, carminibus VI. VII. XI. XIII. XVI. XVII. XXI. XXVIII. proficitur. Carm. XI. XIII. XXVIII. ad Niciam medicum Milesium (cf. Epigr. VII) ejusque uxorem Theugenidem missa iisdem temporibus Nostrum floruisse et iter Miletum ingressum esse testantur. Diophantus, quem carm. XXI. alloquitur, nec quis fuerit nec quando vixerit scimus. Carm. XVI, quo Hiero II, rex Syracusarum celebratur, ad annum fere 270 a. Chr., c. XVII ad Ptolemaei Philadelphi aetatem nos deducit; nec quod c. VI, coll. VII, Aratum amicum laudat, nisi hujus aequalem se fuisse docet. Superest Epigramma XXII.

Ἄλλος ὁ Χῖος, ἐγὼ δὲ Θεόκριτος, ὃς τάδ' ἔγραψα,
εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμὶ Συρηκοσίων,
υἱὸς Πραξαγόραο περικλειτῆς τε Φιλίννης·
Μοῦσαν δ' ὀθνείην οὔτιν' ἐφειλκυσάμην.

Quod sive Artemidoro sive alii cui debemus, fidem tamen facit. Jam accedunt grammatici cum Vita Theocr., Suidas,

Moschus, Comment. Ovid. Ib. 547. Quos priusquam audiamus, scholia nostra recensenda erunt, ut quae spes, quae fides in iis sit ponenda appareat. Diogenes Laert. V, 11 de Theocrito Chio locutus Ambrionem *ἐν τῷ περὶ Θεοκρίτου* excitat, quae non ad nostrum, sed ad Chium referenda esse, pro explorato habebimus. Cf. Bernhardii Hist. Lit. Graec. II, 932. Complures in interpretandis carminibus operam navarunt. Quamquam utrum quicunque in scholiis auctores nominantur, peculiaribus commentariis poetam ornarint, an in lexicis, excerptis, aliis ejusmodi libris passim singulos locos attigerint non liquet. De tribus tantum constat. Nicanor Cous *ὑπομνηματίζων* bis laudatur in schol. ad VII, 6. Amarantus in Etymol. M. p. 273, 39. *διεκρανώσατε· Ἀμάραντος ὑπομνηματίζων τὸ ἡδύλλιον Θεοκρίτου, οὗ ἐπιγραφὴ Λυκίδας ἢ Θαλύσια.* Theo *ἐν ὑπομνήματι* [*τὸ*] *τῷ εἰς Θεόκριτον* in Etymol. Paris., teste Larchero ad Etym. Orion. p. 40, not. 35. et Bekkero ad Etymol. M. p. 219, 28.

Nicanorem probabiliter viri docti suspicati sunt eundem esse atque *στιγματίαν* illum subtilem grammaticum, qui Hadriani temporibus floruerit. Quisquis est, quae de rebus ac locis Coi insulae, fortasse etiam de poeta ibi versato imprimis ad c. VII exposuit, gravissima fuisse patet; nec si ad nos ea pervenissent, tantae turbae de suavissimo carmine essent excitatae; nunc de solo fonte Burina certiores facti sumus. Amaranti etymologiam vocis *διεκρανώσατε·* (ad VII, 154) *σημαίνει τὸ ἀνεῳξατε παρὰ τὸ κάρα, διεκαρανώσατε,* Hermannus probat (Opuscc. V, 82), minus interpretationem; ne de illa quidem mihi persuasit, a *κρήνη* verbum alio loco non repertum ducere malim. Alteram praeterea vel tertiam potius carminis inscriptionem lu-

cramur, quae vereor ut a poeta sit profecta. Theoni *γρῖπος* (fortasse ad I, 39 vel III, 26) *ἁλιευτικόν τι [δύκτιον] δίκτυον* interpretato, conferre vocem cum *ἀγρεῖν* placet *οἷον ἄγριπον· ἀγρεῖν δὲ τὸ λαμβάνειν*, ut Herodiano. Quae Eustathius ad Od. p. 1685, 37 ex commentario Theocriteo laudat, in scholiis ad III, 43 invenimus. — Asclepiades duo agnoscit Wartonus in Notitia Schol. Theocr., grammaticum alterum, alterum medicum. Excluso medico, quamvis multi hoc nomine fuerint insignes, ad unum Asclepiadem Myrleanum (cf. Fabric. Bibl. Gr. VI, 360) omnia refero, etiam quae de thapso frutice ad II, 88 legimus *φυτόν τι χλωρόν, ὅθεν καὶ τὴν θαψίαν πρὸς τὰ ὑπώπια· βάπτεσθαι δὲ ἐκ ταύτης τὰ κροκοειδῆ*. De Phalaro loco (ad V, 102 *ὡς ὁ Φάλαρος*) *καὶ Ἀσκληπιάδης χωρίον τοῦτό φησι τὸ νῦν καλούμενον Φάλαρον* non assentior. Ad dialectum pertinent I, 4 *λαψῇ· ἐκτέταται τὸ λα διὰ τὸ εἶναι Δωρικὸν ὥς φησιν Ἀσκληπιάδης, ἐπεί φησιν ὅτι καὶ βραχύ ἐστιν*, neque vero Wuestemanni emendatione (praef. p. XVIII) indigent. *Θύμβριδος* I, 118 alii fluminis Siciliae, alii regionis nomen (Schol. Paris.) esse voluerunt, Theaetetus *συῤῥακοσίως ἀπὸ τῆς ὕβρεως, Ἀσκληπιάδης δὲ ὁ Μυρλεανὸς διὰ τοῦ δ γράφει Δύμβρις* (unus cod. Vat. *δύβρις*, Theocr. etiam cod. *K. Λύβριδος*). Quae sequuntur ejusdem interpretationem continent *ἢ κατὰ γλῶσσαν θάλασσα*, ut mutato nomine quae praecedunt *Θύμβρις κατά τινα γλῶσσαν ἡ θάλασσα*. Rectius cum Casaubono et recentioribus montem quamvis ignotum intelligemus. Corrupta quae ad V, 94 commemorantur Ahrens l. l. p. 443 optime sanat *Ἀσκληπιάδης δὲ διὰ τοῦ μ ὀρομαλίδες γράφει· ἔστι δὲ τὰ συνακμάζοντα τοῖς μήλοις σῦκα* vel *ἔστι δὲ τὰ συνακμάζοντα τοῖς [μήλοις σῦκα ὥσπερ ἀμάσυκα τὰ*

συναχμάζοντα τοῖς] *σύκοις μῆλα.* Proverbium V, 21 *ἐντὶ μὲν οὐδὲν ἱερόν* breviter interpretatus *ἔστι μὲν οὐδὲν μέγα* a fabulis, quas alii largiuntur, videtur abstinuisse. — Deinde Munatus nominatur, cujus praeceptum ad II, 100 *ἄσυχα νεῦσον· τὸ ἤσυχα Μούνατος παρώξυνεν, ἵνα ᾖ ἀντὶ τοῦ ἡσύχως* non confirmatur. Etymologiam vocis *ὀροδαμνίσιν·* (VII, 138) *οἷον ἐν ὄρεσι θάμνοι* me quidem judice ei remittemus. Arcadum morem illustrat ad VII, 106. *Μούνατος δέ φησιν ἑορτὴν Ἀρκαδικὴν εἶναι ἐν ᾗ οἱ παῖδες τὸν Πᾶνα σκίλλαις βάλλουσι,* nihil de eo quantum scio innotuit, nec festi alicujus diei (*τανίκα — ὅτε κρέα τυτθὰ παρείη*) propriam ac sollemnem fuisse illam castigationem, sed latius patuisse locus ipse docet. Idem alii senserunt (*γίγνεται δὲ τοῦτο, ὅταν κτλ.*), quorum explicatio copulata cum Munati commento sine auctoris nomine anticipatur: *ἑορτή φασιν ἐτελεῖτο ἐν τῇ Ἀρκαδίᾳ, ἐν ᾗ οἱ παῖδες τὸν Πᾶνα σκίλλαις ἔτυπτον, ὅτε οἱ χορηγοὶ λεπτὸν ἱερεῖον ἔθυον καὶ μὴ ἱκανὸν τοῖς ἐσθίουσιν.* Ter praeterea Munati sententias in Argumentis refutatas invenimus vix refutatione dignas: Arg. carm. XVII. *ἁμαρτάνει ὁ Μούνατος τοὺς χρόνους τοῦ Θεοκρίτου ἀναβιβάζων εἰς τὸν Φιλοπάτορα.* Alt. Arg. VII. *Θεόκριτος — κληθεὶς — ἄπεισι μετὰ Εὐκρίτου καὶ Ἀμύντου, οὐχ ὡς Μούνατός φησι μετὰ Φρασιδάμου καὶ Ἀντιγένους τῶν καλεσάντων αὐτόν.* Egregiae sagacitatis documentum auctor Arg. III servavit: *τὸ δὲ τοῦ ποιητοῦ πρόσωπον οὐκ ἂν εἴη ὡς ὁ Μούνατός φησιν ἐκ τοῦ λέγειν τὸν ἐπικωμάζοντα· ἦ ῥά γέ τοι σιμὸς καταφαίνομαι· πλανᾶται δὲ καὶ περὶ τοὺς χρόνους,* et extr. *τινὲς δὲ διὰ τὸ σιμὸς τὸν Θεόκριτον οἴονται κωμάζειν, Σιμιχίδην καλοῦντες.* Acute nimirum concludit: Simichidas idem est qui Theo-

critus, caprarius ille: num simus inquit tibi videor esse? — ergo caprarius Theocritus. Facile opinor hujusmodi alucinationibus carebimus, nisi forte ex commentariis ejus vel temporum vel eorum iniquitate, qui eos compilarunt, meliora perierunt, pejora servata sunt. Miror Wuestemannum in Argum. carm. VII (p. 107) quaerentem, cui antiquum ac probum scholion VII, 125. *Μόλων καὶ Σίμων Ἀράτου ἀντερασταί* daret, in Munatum incidisse; de quovis alio libentius assentiar. — Ameriae nomen additur scholio I, 32, *τι* pro quo alii *τις* videntur scripsisse ad *δαίδαλμα* retulit. Quae ad I, 97 duo codices praebent (*λυγιξεῖν·*) *Ἀμερίας — φησι λύγος ῥάβδος ἀγνοῶν ἴσως οὓς μαστιγώσει* ex Ameriae ejusdem ni fallor glossis nonnunquam laudatis sumpta, male tamen huc perlata esse suspicor. Theaetetum denique ut in interpretibus Theocriteis habeam scholio ad I, 118 supra jam citato adducor: *Θύμβριδος·* — *Ὁ Θεαίτητος δέ φησι συῤῥακοσίως ἀπὸ τῆς ὕβρεως,* alterum ad I, 147. commemoratur *σχαδόνων· Θεαίτητος δὲ τοὺς κηροὺς τοὺς ἔχοντας τῶν κηφήνων τοὺς γόνους (φησὶ), οἵτινες ἤδὺ ποιοῦσι βρῶμα.* Apollonium non recipio, quae in carm. III. Arg. extr. leguntur *ἡ ἱστορία παρὰ Ἀπολλωνίῳ* aliena puto. Ne Neoptolemum quidem agnosco, qui in scholio ad I, 52. ab Aderto emendato refellitur. De Lampridio (Wuestemann. praef. p. XX) non habeo quod proferam, nec de Eratosthene (ib. p. XV), nisi quod *Ἐρατοσθένους ὑπόθεσις εἰς τὸν Αἴτην* (c. XII) in codicibus Vat. 38. 42. 44 legitur, teste Zieglero (Ind. cod.) — Quodsi subductis calculis, quamvis paucae sint sententiae neque integrae, de auctoribus judicium faciendum est, non tantidem omnes aestimandos esse apparet: maxime fortasse quae Nicanor de rebus tradidit, grammaticas et

criticas Asclepiadis disputationes, minime omnium Munati beneficia desiderabimus. Nec aliunde de tempore et auctoritate eorum certi quicquam eliciemus. Dixi de Nicanore, Asclepiade, Ameria; Theaeteti cujusdam, Justiniano fere aequalis, aliquot epigrammata in Anthologia, liber de proverbio a Suida *Οὐδὲν πρὸς τὸν Διόννσον,* Theonis varia scholia laudantur, Amaranti etiam nomen passim occurrit; dubium tamen est, utrum illi sint intelligendi. Hi igitur grammaticorum commentarii, qui ipsi diversi erant pretii et generis, in unum corpus collecti, excerpti, aucti, contaminati ut fit Byzantinis sordibus, in mutilas nostras atque corruptas reliquias abierunt. Attamen suspicio vel spes oritur, quod Theoni, Amaranto, Asclepiadi, Munato idem pluribus accidisse, ut nominibus sublatis gravissimae explicationes in scholiis lateant, id quod unius cujusque loci indole probandum erit. Dubiam autem hanc speciem esse, ambiguum de ea judicium, virorum doctorum dissensio ostendit. Etenim quae alii unice amplexi sunt, ut inepta commenta ab aliis repudiantur. Summam videlicet eruditionis copiam prae se ferentes fallunt isti auctores, ut sive de dialecto, sive de rebus eos consulimus parum praesidii reperiamus. Nec solum malorum ducum instar turpiter nos deficiunt, sed difficultatibus auctis iter impediunt. Exempla discrepantiae e carmine septimo afferam. De Pyxa v. 130 quaeritur. *Πύξα δῆμος τῆς Κῶ ἢ τόπος, οὕτως ὀνομαζόμενος παρὰ τὴν φύξιν τοῦ Ἡρακλέους τὴν ὑπὸ τῶν Κώων γενομένην, — οἱ δὲ τόπον ἐν ᾧ ἱερὸν Ἀπόλλωνος ἀφ᾽ οὗ Πύξιος λέγεται — ἢ Πύξα ὄνομα πόλεως, ἀφ᾽ οὗ καὶ Πύξιος Ἀπόλλων καὶ Πάν· κτλ.* Tres igitur opiniones offeruntur, singulae per se fraudis notis minime insignes; quae vero fide digna? nulla si Hermannum audimus.

Eadem optio de Oromedonte ad v. 45 datur, quem alii Pana dicunt, *βασιλέα τῶν ὀρῶν ἢ τοῦ οὐρανοῦ*, alii *ὠρομέδοντος* legentes coelum ipsum vel solem, alii Junonis adulterum (quos *Εὐρυμέδοντος* scripsisse arbitratur Huschkius Anall. litter. p. 338), alii montem vel Thessaliae, vel Coi *ἀπὸ Ὠρομέδοντος τοῦ τῆς νήσου βασιλεύσαντος, — ὑψηλότερον τῶν ἐν Κῷ ἑτέρων ὀρέων*, nec Plinio (Nat. Hist. V. 36) nec alii cuiquam notum; certe Gigantum ille rex erit intelligendus, *Ὠρομέδοντος* tamen cum optimis libris servandum. Cf. Hermann. Opusc. V, 80. Nicanoris simplici narratione ad VII, 6 non contenti de statua, de loco a via publica remoto, de celeriter peracto opere cogitant, ut *ἐκ ποδός* explicent. Cf. de Halente ad v. 1, de Lycope aut Lycopo aut Lycopeo ad v. 72, de Myndo vel Mynda II, 28. Sed vix opus est pluribus. Quapropter cavebimus a gratiosis istis hominibus, quicquid novi afferunt, nisi aliunde confirmatur, si praesertim fons reperiri poterit, ex quo miram eorum doctrinam manasse verisimile est. Apparebit quanti Rhodium Philetam faciam, quem soli norunt (ad VII, 40); fortasse commoratus erat aliquamdiu in illa insula. (Bach de Phileta Coo p. 3.) Jam videamus quid de Theocrito tradant. Nicanorem de Burina ad VII, 6 disputantem supra jam commemoravi. Quae ad v. 5 de Clytia, Meropis filia, de Eurypylo, Chalcone narrantur, tam manifestam antiquitatis notam prae se ferunt, ut ab eodem Nicanore haec cum sequentibus *ᾗ νήσῳ ἐπιδημήσας ὁ Θεόκριτος ἐφιλιώθη Φρασιδάμῳ* profecta esse dicam. Non persuasit mihi Hermannus, Opusc. V, 79 de Velia Coorum colonia ac sede, de Halente et Buxento disserens; ad insulam Con res hoc carmine celebratas refero. Poetam igitur peregrinatum ibi

esse pro certo habebo. Nec de Asclepiade praeceptore dubito. Licet cum Wuestemanno (Argum. VII, p. 107.) minoris quis faciat quae in schol. Gaisford. ad VII, 40 leguntur, abest tamen suspicio a melioribus, quae cod. Genev. exhibet (Adert. l. l.) *Σικελίδαν· Τὸν Σικελικοῦ μὲν υἱόν, Ἀσκληπιάδην δ' ὠνομασμένον. φασὶ δὲ αὐτὸν εἶναι ἐπιγραμματογράφον, τὸ γένος Σάμιον, οὗτινος ἠκροάσατο ὁ Θεόκριτος.* Quae aucta suis commentis *ὥςπερ γὰρ Σιμιχίδαν ἑαυτὸν καλεῖ ὁ Θεόκριτος πατρωνυμικῶς ὡς υἱὸν Σιμιχίδα κτλ.*, adjecto *δοκεῖ* repetit is cui schol. Vat. debemus. Itaque Asclepiades Samius praeceptor fuit Theocriti. Longe aliter de iis judicandum erit, quae in schol. ad v. 21. inveniuntur: nihil aliud agitur, quam ut poetae aut patri aut utrique nomen vel cognomen certe detur. *Σιμιχίδα· — Οἱ μὲν αὐτόν φασι Θεόκριτον καθὸ Σιμιχίδου ἦν υἱὸς ἢ καθὸ σιμὸς ἦν. οἱ δὲ ἕτερόν τινα τῶν σὺν αὐτῷ, καὶ οὐ Θεόκριτον διὰ τὸ Σιμιχίδᾳ μὲν ἔρωτες ἐπέπταρον — et Εἰσὶ δὲ καὶ πατρωνυμικὰ οὕτως ἀπαραλλάκτως λεγόμενα καὶ ἐπὶ τῶν υἱῶν, ὡς καὶ ἐπὶ τῶν πατέρων· ὥςπερ ὁ Θεόκριτος Σιμιχίδα υἱὸς ὢν Σιμιχίδαν ἑαυτὸν ὀνομάζει πατρωνυμικῶς κτλ. Οἱ δὲ λέγοντες Σιμιχίδαν λέγεσθαι τὸν Θεόκριτον διὰ τὸ εἶναι σιμὸν κακῶς λέγουσι.* Cf. 40. Simichidam igitur Theocritum et patrem appellatum fuisse volunt, alii simum commendant: agnosco Munatum quem supra jam in hisce nugis deprehendimus. In patronymicis quidem ita usurpatis non est, quod haereamus, cf. Meinek. ad VII, 40; nec ipsum nomen cum alibi tum apud Siculos ignotum fuisse puto, quamquam Simichidam alium occurrere non memini; *Σιμίχη* aliquoties, *Σῖμος* Siculus a Nostro XIV, 53, *Σῖμος* a Thucydide VI, 5 in iis commemoratur,

qui Himeram urbem condiderunt; si quis Coum mavult, medicum Strabo XIV, 657 suppeditat. Quid multa: quin poeta se ipsum inducat et narrantem et canentem nemo dubitabit, nomen pervulgatum sibi comitique Lycidae induit, quem ut caprarium hirci pelle, paenula, cingulo, pedo ornat. Ne quis aegre ferat, quod hoc grammaticorum commentum omnino attigerim, quippe quod vix cuiquam imposuerint; non de solo Simichida exstirpando, sed de aliorum fide et de erroribus removendis agitur, qui cum illo cohaerent. Pugnare enim pro falso Simichida videntur auctor Vitae Theocriti et Suidas. Atque illi quidem quae auctoritas sit concedenda, rebus ipsis, quae traduntur, judicabimus. Nihil novi affert, certe quae nova sunt, de fide non persuadent. Syracusis Theocritum natum fuisse, patre Praxagora, matre Philinna, et Asclepiadem audivisse jam reperimus. Quod aetate Ptolemaei Lagi F. eum floruisse prodit, non accipiemus, melius docti carmine XVII. Duobus nominibus eum auget: quorum alterum Simichidae modo in scholiis invenimus; addit v. 21, ne quis dubitet, nec σιμὸν omittit. Alterum ignotum lucramur: Moscho proprium poetae nomen, cognomen Theocrito fuisse. Scimus unde hic Moschus oriundus sit. Nempe erant, qui Amorem Fugitivum, Epitaphium Bionis, alia Nostro tribuerent, cf. Ziegleri ind. cod. Habeat sibi et Moschum et Simichidam. At Philetam praeterea praeceptorem memorat; quum vero ipse addat ὧν μνημονεύει manifesto mihi fateri videtur, non ex antiquo commentario se hoc sumpsisse, sed ex poetae loco VII, 40, quo una cum Asclepiade Philetas laudatur, et ex scholiis, quae illius disciplina Theocritum usum fuisse testantur. Quae conjectura quamvis sit probabilis, nullam tamen si de rebus

quaerimus, auctori fidem facit. Compilasse igitur istum grammaticum existimo, quae poeta ipse significavit, accepisse etiam quae scholiastae perverse interpretati narrabant, nullis nisum singularibus praesidiis. Restat Suidas, qui v. *Θεόκριτος* postquam de Chio exposuit ita pergit: *Ἔστι καὶ ἕτερος Θεόκριτος Πραξαγόρου καὶ Φιλίννης· οἱ δὲ Σιμμίχου· Συρακούσιος· οἱ δέ φασι Κῶον, μετῴκησε δὲ ἐν Συρακούσαις. οὗτος ἔγραψε τὰ καλούμενα Βουκολικὰ ἔπη Δωρίδι διαλέκτῳ. τινὲς δὲ ἀναφέρουσιν εἰς αὐτὸν καὶ ταῦτα· Προιτίδας, Ἐλπίδας, Ὕμνους, Ἡρωίνας, Ἐπικήδεια μέλη, Ἐλεγείας, Ἰάμβους, Ἐπιγράμματα.* Simichum vel Simmichum patrem a quibusdam nominari refert, ecce novum inventum eorum, qui in Simichida non acquiescendum esse censuerunt vel in patronymico offenderunt. Alteram nonnullorum opinionem prodit: Coum fuisse Nostrum, migrasse Syracusas. Hos igitur secutus Con patriam esse Ahrens l. l. arbitratur. Nihil probat, ut de conjecturis viri doctissimi taceam, Delphis Myndius II, 29. 96. Non audio Scholiastam ad II, 28. urbem Arcardiae largientem Myndum, praeter eam quam in Caria sitam Strabo et alii agnoscunt, Schol. Par. *ὁ ἐκ Μύνδης πόλεως ὁ ἀπὸ τόπου* ipsum nomen ad incertum revocat; non repugnabo si quis Delphim peregrinum nequaquam ferens Myndum sive Myndam Siciliae oppidum fuisse dicat, nobis quidem hactenus ignotum.

Reliqua alias edentur.

VITA.

Carolus Julius Adolphus Andreas Assmus natus sum Labischiniae, oppido Posnaniensi a. d. XII. Kal. Sept. a. huj. saec. XXXII; et patrem Joannem et matrem Mariam e gente Geisel dura mihi mors eripuit. Fidem profiteor evangelicam. Schrimmam laribus translatis cum in schola publica tum privatim a viro egregie de me merito A. Balckio rebus sacris illius urbis praeposito, litterarum elementis imbutus per quinque annos gymnasium Zullichaviense frequentavi quod laete floret Hanovii v. cl. auspiciis. Maturitatis deinde testimonio instructus Berolinum vere a. LI. me contuli civibusque academicis a rectore magnifico Twestenio adscriptus per triennium viros audivi illustrissimos b. Benekium, Boeckhium, E. Curtium, Geppertum, Gerhardum, Hauptium, Hertzium, b. Heysium, Koepkium, Meinekium, Panofkam, Petermannum, Rankium, Ritterum, Trendelenburgium. Boeckhii praeterea benevolentia mihi contigit, ut inter seminarii philologici sodales ordinarios reciperer; Trendelenburgii etiam exercitationibus philosophis interfui. Postquam relicta universitate duo fere annos in litteris et discendis et docendis consumpsi, functus magistri privati officiis, Berolinum redii ut examina rite absolverem.

Occasione nunc oblata omnibus praeceptoribus meis publice ex animi sententia gratias ago quas possum maximas.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 048 199 9

THESES.

1. Nullus ante Theocritum fuit poeta bucolicus.
2. Quae in Moschicis fertur Megara (carm. IV.) injuria huic poetae tribuitur.
3. Virg. Ecl. VIII, v. 76 ejiciendus est.
4. Livii verba (II, 5): »eminente animo patrio inter publicae poenae ministerium« sana sunt.
5. Vell. II, 26 extr. Laurentii emendationem probo: »Nunc virtute feminae eminet, propria latet.«
6. Eurip. Hec. versus 68—99 strophis et antistrophis nullis sunt circumscribendi.
7. Soph. Oed. Col. 680 *τὸν οἰνωπὸν ἔχουσα κισσὸν* legendum est.
8. Nisi graecarum litterarum studio praemisso romanae recte percipi nequeunt.